

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1038

1036

1042

1032

1047

1027

1087

0987

0937

0537

0037

Ende

Anfang

465

laborantibus in ascensu illo, ecce, dies adspiravit et inclinabantur umbrae, et vidimus longe supra collum id caput montis, ad cuius aspectum quasi conterriti stabamus, mirantes altitudinem adhuc restantem post tantum ascensum. Non potest enim summa vel caput montis inferius videri juxta radicem, quia sic est ejus dispositio. Primo habet radicem latissimam, in qua arbusta, virgulta et multi rubi crescunt. Deinde sunt rupes eminentes, per quos in crepidinibus est ascensus usque supra montis ventrem, qui est tumor magnus a corpore montis procedens et excrescens, quasi terrae inflatio esset, et propter hunc tumorem non potest videri de imis nec caput nec collum montis; super ventrem est illa latitudo graminosa continens loca egregia ad pascua optimas herbas ferentia. Venter ille longum habet ascensum usque ad cacumina montium ei adhaerentium, ita quod de ventre illo uno jugo est transitus in montium aliorum vertices. In supremo autem ventris consurgit montis Synai collum, rupis enim magna, tortuosa et scopolosa in altum protensa ibi excrescit a ventre montium sicut collum a corpore procedit in homine; et hoc collum est adeo altum, quod stupor est videre, et supra collum est montis caput. Est autem rupes colli directe contra coelum erecta, et scopulis altis et acutis cincta ita, quod homo inferius stans non potest imaginari, quomodo possibile sit, hominem in verticem ascendere. Imo, ante S. Catharinæ manifestationem nemo praesumebat adscendere. Unde in Speculo histor. L. 19. C. 17. recitatur de quodam sene visitante patres deserti incolas, qui dicit: vidi, inquit, juga Synai montis, cuius summum cacumen coelo contiguum nequaquam adiri potest. His tamen non obstantibus viriliter opus coeptum aggressi sumus, et usque ad collum pervenimus in aliorum montium juga. Collum autem ipsum arduissimum aggressi per rupes et scopolos sursum scandimus, quasi eo modo, quo quis arborem adscendit, trahentes nos sursum de uno scopolio in aliud. Robustiores autem praececedebant et sequentibus manus porrigebant sique eos sursum trahebant, nec valuissent ibi formidulosi et vertiginosi homines. Non autem ascendimus successive unus post alium, sed quilibet ascendit in proximo sibi loco, ubi sibi videbatur, quod multa essent tenacula manuum